



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Caput XLI. De Qvodam Miraculo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

*Conradus Lanagr. Thuring. V. Magister Ord. Gen.
Popo de Osterna II. Mag. in Prussia Provincialis.*

factum detestabile idem Martinus in tantum abhorruit & tantam concepit inde invidiam contra Infideles, qvod postquam fuisset liberatus ab eis percussit eos saepius plagâ magna, prout inferius apparebit. Post recessum ipsorum dum fratres vide-
1. Macch. 2.
8. seq.
 rant mala qvæ fecerant in populo, dixerunt invicem: Væ nobis, ut qvod nati sumus videre contritionem populi nostri & contritionem terræ nostræ & sedere illuc cum detur in manus inimicorum trucidati sunt senes ejus. Juvenes ejus ceciderunt in gladio inimicorum qvæ prius erat libera, facta est ancilla. Ecce forma nostra & pulchritudo nostra & claritas nostra desolata est & coinquaverunt gentes, qvod ergo vobis ad hæc vivere. Sciderunt ergo Vestimenta sua & cooperuerunt se ciliciis & cum eis gravi timore perterritus omnis populus, qvi superstes fuerat, planxit.

ANIMADVERSIO.

AD CAP. XL.

(a) Causam belli hujus Joannes Micralius, ut suum excusat Sventopelcum, affert hanc: Dicit in pactis promissis Cruciferos restitutio-
 nem arcis Sardevviz: Pacatis vero rebus non Sventopelco eos, ut
 in pactis promissum erat, sed Samborio fratri Sventopelci, Ordini
 Teutonico addito, arcem tradidisse. Sed neminem suæ sententiae
 allegat Authorem, qvod alias facere solet. *Vid. lib. II. Pomer. cap.*
97. p. 280.

CAPUT XLI.

De

Qvodam Miraculo.

Quædam Mulier dum post conflictum cum aliis civibus de Colmien iret ad locum certaminis ad sepeliendum corpora interfectorum & maritum suum semivivum vellet ad Civita-

S 3

tem

*Conradus Landgr. Thuring. V. Mag. Ord. Teut. Gen.
Poppo de Osterna II. Mag. Provincialis in Prussia.*

tem ducere, ille restitit; & dum qværeret, qvare ibi lubentius moreretur, respondit, qvod B. Virgo Maria eodem die cum thuribulo, præcedentibus duabus Virginibus cum Candelis ardentibus omnes occisos thurificasset, & dum veniret ad eum, & sensit eum adhuc vivum, ait: Tertia die morieris & gaude, qvod anima tua sicut cæteræ animæ occisorum, ad æterna gaudia evolabit, ductusqve sic cum aliis in Civitatem Colmensem tertiam die mortuus est ut prædixit, & credidit omnis populus Verbis ejus.

CAP. XLII.

de

*Altercatione Duarum Viduarum
pro uno Viro.*

Post hunc Conflictum Episcopus Colmensis videns Civitatem Colmensem desolatam Viris, omnes enim occisi fuerunt in conflictu prædicto, injunxit Viduis in remissionem omnium peccatorum, ut famulos suos ducerent in maritos, ne negotium fidei ibidem omnino periclitaretur. Unde accedit qvod duas Mulieres dum ad Ecclesiam irent, viderent inter alios in foro studentes ad talos, qvendam famulum fortē & pulcrum aspettu, licet non benē Vestitum, qvarum una secretē dixit ancillæ suæ, ut illum duceret ad domum suam. Alia verò hoc considerans præcepit ancillæ suæ occultē, ut eum deduceret ad hospitium suum, nec eum dimitteret, qvousqve reverteretur. Quo facto ipsa eum vestivit honestē & contraxit cum eo matrimonium in facie Ecclesiæ. Prima mulier hoc intelligens, diu fuit ingrata alteri mulieri. Hic famulus natus fuit de Hallis, & adeò honestus & sapiens fuit, qvod in prudentia parem in Virtutibus non habebat.

CAP.

